

049

047

053

043

058

038

098

148

Ende

Anfang

34

quibus venerat, navigaret. Sicque aliis recedentibus ille mansit.
Non multis autem elapsis horis navis procellis ac fluctibus
obruta periit, et omnes in ea existentes.

Porro venti illi inutiles magis ac magis augmentati sunt,
et tribus diebus ac noctibus in illis rupibus mansimus et
quotiens egressi fuimus, totiens vi ventorum reinjecti fuimus,
cum maxima molestia omnium. Veruntamen illa molestia fuit
nostra salus. Nam dum triduo post bono vento afflante de
illo loco mare altum peteremus, occurrit nobis una galēa
praedalis venetiana, et dum juxta nos venisset, interrogaverunt
nos gubernatores, an aliquid passi fuisseus in via maris
pridie vel nudius tertius? Quibus cum diceremus, nihil, nisi
ventos contrarios, qui nos iactassent in montana, dixerunt,
benedicti sint venti illi, qui vos ad loca occulta jactaverunt.
Si enim in latitudine maris pridie fuissestis, in classem armatam
turcicam incidissetis, quae pergit contra Apuliam, ut ibi
praedas a christianis sumat. Hoc audito (**13 A**) Deum
laudavimus, qui nos eripuit de manibus turcorum hac vice.

Processimus autem et post aliquot dies ad Kursulam in
Illyrium venimus, et portum Kursulae civitatis ingressi mane
missam ibi audivimus. Est autem Kursula civitas in Illyrico
sita, et alio nomine vocatur Prepo in alto, supra montem
petrosum sita vel locata, parva quidem sed populosa, sub
dominio Venetorum, et muris ac turribus bene munita, et est
ibi Episcopatus.

Porro timor magnus invasit omnes inhabitatores ejus,
praecaventes, ne forte turci, quos per mare vagari ad praedam
viderunt cottidie, etiam eos invaderent, et mirabantur de
nobis, quod navigare per mare praesumeremus in tanto peri-
culo. Et prudentes regressum nobis consulebant. Sed ad
haec minime intendimus. Navem autem ingressi sumus, emtis
in civitate vino, et panibus, et aliis necessariis. Dum
vero antemonem sursum traherent, ex cuiusdam galeotae
negligentia deorsum ruit, et quendam alium galeotam percu-
tiens extinxit. Huic periculo casui prope astitit Dominus
Senomanensis episcopus, et ego ad latus ejus, cum multis
aliis, et parum distabat, quod omnes fuisseus oppressi
et extincti. Juvenem autem extinctum, involutum linteo,

